Crac. Univ. Stud. Jagell.

Promotiones Ord. Jurisconsult.

1692 Sexto Calend. Aprilis.

Nyer Andrej

Piskorski Sebastiani: Proloquia in actu promotionis Trium de Collegio Iuridico Crac. DD. Doctorum sub auspiciis S. R. M. Ioannis III Pol. Regis expedito.

PROLOQVIA

Clarissimi ac Iure-Consultissimi Viri,

Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,

D. SEBASTIANI PISKORSKI,

V. J. D. & in Universitate Studij Generalis Crac: Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium Cracovień: ARCHIDIACONI, Canonici Veluneń. &c. Facultatis Juridicæ PROCANCELLARII;

In Actu Promotionis

Trium de Collegio Iuridico Crac: DD. Doctorum.

SUB AUSPICIIS,

Sacræ Regiæ Maiestatis,

Serenissimi, Invictissimi PRINCIPIS, *ac Domini Clementissimi,*

IOANNIS III.

Dei Gratiâ, REGIS Poloniæ, Magni DVCIS Lith. Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Livoniæ, Severiæ, Czerniechoviæq;.

in dicta SS. Omnium Ecclesia Collegiata,

EXPEDITO,

Anno Domini, M. DC. XC II. Sexto Calend. April.

HABITA.

& per ANDREAM de Bułowice NYCZ I. V. D. *gratum Discipulum, currenti calamo excepta, ac luci publicæ*

DATA.

CRACOVIÆ, Typis Uniuersitatis.

In Stemma

Illustriss. & Rñdissimi Dñi.



Hyblæi Flores, Pæstana Rosaria, quasvé
Delicias Veris dulcis Hymettus alit,
Ite valete! mihi præstantior omnibus, una
Est ROSA, quâ floret BVZENIANA Domus.

Illustrissimo, Rñdissimo Dño,
D. STANISLAO
à BUZĘNIN
BVZĘNSKI,
Ecclesiarum Cathedralium, Varmien: DECANO, Vicario in Spiritualibus ac OFFICIALI Generali, Gnesnen: Cracovien: CANONICO, Strzałkovien: PRÆPOSITO.
DOMINO BENEFACTORI.

Q*Væ dignæ cedro*, Cressâ digna notâ, *prolocutus est, in Actu Promotionis trium Collegij Iuridici Cracovień. Doctorum, Vir ille in primo eruditorum censu Tibi recensitus, ac numero familiarissimorum additus; nè sub rosa dicta haberentur, penitùsq; æviternam fallerent memoriam; digna reputavi Florentissimâ ROSA Tuâ*, ô & præsidium & dulce decus meum! MECÆNAS. *Primi Veris deliciæ istæ, in Parnasso Academiæ Cracoviensis gemmantes, debentur omninò Regio matu-*

ræ æstatis Flori: qui & profusam adspirat semper Musis Iagelloneis benevolentiam, & angustæ earum rei, auream messem reponit: ipse & Laurearum coronis, & vinculum Gratiarum, Literas Literatosq́; in Tuo cordatissimo pectore, strictissimè amplectentium. Ego quidem hebetiore sensu esse nolui, illis: qui Præceptorē sancti voluêre Parentis esse loco: *sed verba Magistri complexus; quâ ille Te habet observatione; hanc dictis factis eius, profiteri Tibi volui: ut quibus eadem Themis Polona cordi est; non dispar quoq; voluntas, amplissimo Honori Tuo tributarios mancipesq́; habeat. Quod dum cultu veneratabundo exequor; Divinæ Maiestatis clementiam supplicibus fatigo votis: ut* serus in cælum redeas, diuq; sospes intersis *nobis: Gemma Literati Orbis, Ecclesiæ Lucerna ardens & inextingvibilis.*

Illustriss. Rñdissimæ Dñationis
Vestræ,

Servus humillimus,

A. N. I. V. D.

PROLOQVIUM I.

OPus meditatum auſpicatò aggredi, apud omnes maturiùs in commune conſulentes, primum operæ pretium eſt: & js qui bene cœpit, non ſolùm dimidium facti, ſed ſummam coronidem aſſecutus cenſetur. Omnis equidem actionis humanæ finis, omninò reſpicit principium ſuum: quod bonum ſi fuerit, melior ſequitur exitus; ſi malum, ſequior ille multò magis. Videmus, qualis fonti irriguo ſapor colorvè eſt, talis riuum ab eo deductum, longiora etiam per ſpatia, conſequitur dos primæua ſua, & affectio genialis. Aurora quæ ſerenum diei, ſolisq; ortum auſpicata eſt; ſeram vſq; ad veſperam, clarum eundem innubemq; deducit. Sacris pariter ac profanis actionibus, quoties bona prælusêre omina; fortunati exitûs ſecuros fecêre operantes: ſemperq; magni ſub præſidio, & auſpicio nominis; quantumuis arduum, minore moleſtiâ, majore prouentu boni, prodijt omne opus. Non leue, medius fidius eſt. A A. quod in hac majorum luminarium luce Veſtra ſplendidiſsima, tenues conamur: nec Phryxeo velleri cedere videtur tela iſta, quam ordiri attentamus. Nimirùm ſuprema, emeritæ virtuti aſsignare præmia; Viros quos Iuris Vtriusq; conſummata prudentia, ac eruditionis omnigenæ cornucopia ſecernit populo, in ſumma Laureati Honoris auge conſtituere: purpuratos Proceres inter lumina Senatûs Academici recenſere, ac Or-

ſibi eruditô, gemmam hanc tergeminam inſerere; operoſum ſanè, nec facilè, aut momento abſoluendum negotium eſt. Quod quantæcunq; tandem molis fuerit; vt Eccleſiæ, Patriæ, A. Academiæ Matri noſtræ benè feliciterq; vertat; DEI imprimis, cælitumq; omnium freti auxilio, quos Pantheon hoc præſentes nobis propitioſq; conciliat; auſpicatiſsimam ei teſſeram, Auguſtum Sereniſsimi, Inuictiſsimi Principis, Dñi Noſtri Clementiſsimi IOANNIS III. Poloniarum Regis Victorioſiſsimi, Nomen præfigimus. Nomen, quod Orbem Chriſtianum, ſub pondere armorum Thracij tyranni extremè fatiſcentem, ex ipſis propè faucibus fati excuſsit, ſalutiq; reddidit: Ciues vicinoſq; trepidis in rebus, vltimo à diſcrimine ſeruauit: ſaniorem partem Chriſtianorum Principum, contra communem hoſtem, inaudito ſeculis exemplo, animis pariter ac armis vniuit: gloriam Polonæ gentis, vltra Oceani immenſa littora, & vltimam Thulen, præpetibus ſtupentis famæ pennis prouexit: nobis, vltra communia vniuerſim omnibus exhibita beneficia; hoc ipſum quòd ſtationem noſtram tuemur, quòd hîc ſecuri agimus, quòd in nidulo noſtro, procul metu procul inuidiâ malorum, Generoſam Aquilæ Polonæ Sobolem; non nobis ſed Reipublicæ, ſed Eccleſiæ, literis ac fruge Cleanthea formamus: hoc (inquam) ipsũ dedit impertiuitq; nobis liberaliter. Is igitur auſpex operis noſtri; Is aſſurgentis principium Muſæ, Victor Orientis, Auſtriæ Saluator, miraculum Occidentis, Septemtrionis terror: Iuuans Pater Patriæ, Ciuium integerrimus

& enixus

& enixus amor: post Titos Constātinosq́; , rediuiuum generis humani delicium: Musarū dulce decus nostrarum, & Apollo augur, Regum IOANNES Maximus. Cujus Augusti Nominis sacro ternario, omne decus omneq́; hodiernæ diei celebritatem supputat, ac in summam deducit Ternio Vester, Viri Consultissimi, Vtriusq́; Iuris Licentiati. IOANNIS Gratiarum Nomen est: hoc symbolo tres Charites, Vobis Triumuiris ludunt, plausumq́; Laureato Honori Vestro faciunt solennem: miranturq́; in numero Vestro, tres illos Vniuersi iuris summos Antistites: quibus Augustus Legislator, integrum compilādarum legum negotium demandauerat, Theophilum, Dorotheum & Tribonianum. Relucet quasi in speculo, in Vobis, Triumuiralis illa Dignitas: quæ quāta olim, enuntiat l. necessarium ff. de O. I. Arcani huius numeri magno mysterio, censere Vos voluit, non casus, sed DEVS; qui & ipse numero impare gaudet. Cuius Vos honorem, Ecclesiæq́; ejus ab omni iniuria seruandam sacrosanctè integritatem, pro aris istis legitimè certando euincite: in stadio hoc sic currite, vt comprehendatis: neq́; enim edicto Doctoris Gentium coronabitur; nisi qui legitimè certauerit.

PROLOQVIUM II.

Post decisam stylo Iuridico, à DD Doctoribus, M. ANDREA KRVPECKI, M. IOANNE EKART, M. ADAMO STYRKOWSKI *V. I. Profess & à Magni-*

Magnifico D. Almæ Vniuersitatis Studij Gener. Cræc. **RECTORE**, *alijsq; Clarissimis DD. Doctoribus, Quæstionem de Immunitate Ecclesiastica.*

ad c. inter alia. De Immunit. Eccl. juncta l. præsenti. C. de his qui ad Ecclesiam conf. Ante professionem Fidei.

AB initio DEVS, Paradisum voluptatis, proscripto inde ob præuaricationem mandati sui, primo Parente nostro, oculatissimo Cherubin custodiendum commisit: vtq; ab ingressu ejus, damnatum ad bestias noxam perpetuò arceret, flammeo gladio dexteram eius obarmauit. Conueniebat equidem tàm peruigil custodia, custoditæ rei tàm pulchræ! nimirùm omniscia, parte ab omni perspicax Intelligentia, ligno Scientiæ boni & mali: quod teste scriptura, *erat pulchrum oculis, & visu delectabile.* Sed flammeo gladio, quid cum arbore Vitæ? *Gladium Spiritûs* vocat Apostolus *Verbum DEI:* secundùm eundem, non nisi *fides ex auditu: auditus autem per Verbum Christi.* Iuremeritò centoculus Cherub, hoc est oculatissimus vtrâq; Diuinarum Humanarumq; rerum scientiâ Doctor, romphæâ fidei armatus esse debet; *ad custodiendam viam Ligni Vitæ, in medio Paradisi*, idest Ecclesiæ, per Paradisum voluptatis figuratæ: cuius ille Immunitatem, ab omni vi, iniuriâq; asserere adstrictus est. Abraham postquàm vidit tres Viros, cælestia responsa ferentes; pronus adorauit in terram, vnumq; in Trinitate DEVM palam confessus est, dicens: *Domine si inueni gratiam in oculis Tuis, ne transeas seruum Tuum;* ac propterea *Pater* seu Doctor *omnium credentium* dici, promis-

sionemq;

sionemq; nasciturí inter homines DEI accipere, primus meruit: qui & Vnitatem Diuinitatis in Essentia, & Trinitatem in Personis, agnouit professusq; est. Et hæc quidem in lege Naturæ; at quantò magis in lege Scripta & Gratiæ? in qua nullus Iustitiæ, nisi qui & fidei sincerus cultor est: quia teste Gentium Doctore, *Iustus ex Fide viuit*: & vbi non est sana Fides, non potest esse Iustitia, Phænix Doctorum AVGVSTINVS, in can: vbi sana. 24. Q. 1. Primæ sacratissimarum Legum, primæ sacrorum Canonum Rubricæ, Iura docentibus juxta ac discentibus, euoluendæ proponuntur, *de summa Trinitate & Fide Catholica*: Professioq; eius omnibus Magistris, Doctoribusq; inaugurandis omninò præmittenda, edictali constitutione Ecclesiasticâ iniungitur. Quare Diuini humaniq; Iuris Consultissimi Antistites, qui & numero Vestro, arcana veræ Fidei mysteria enuntiatis; & quâ obseruatione vnam Sanctam Ecclesiam habeatis, publicâ decertatione pro Iure Immunitatis eius susceptâ, palam demonstrâstis: superest vt hoc ipsum, piâ cordis orisq; professione, in facie Ecclesiæ comprobetis.

PROLOQVIUM III.

Post Orationem Panegyricam, cujus thema fuerat: Asylum periclitantis Ecclesiæ, Clypeus Serenissimi, ac Potentissimi IOANNIS III. *Dei Gratiâ Poloniarũ Regis &c. continuans dicta Oratoris* M. IOANNIS IOSEPHOWIC *Collegæ Minoris, Cancellariæ Consistorij Crac. Regent. & ad insignia conferenda accessum parans.*

Hæc

HÆc Tibi, Immunitatis Ecclesiasticæ Summo Assertori, omnium ore Christianus perorat Orbis, ingentibus ausis Tuis, heroicè vbique defensus. Regum Maxime. At Craciæ Regni Tui Athenæ, quid priùs dicant de Te? Diuus quidem Iagello, Litauum Parnasso Lechico addidit Bellerophontem; qui felici vngulâ, excusso ad radices petrosi Vauelli, Castalio scientiam omnium Fonte; profusisq; vndique laticibus eius, totum irrigauit uberrimè Septemtrionem: ast Tu, Augusto Clypei Tui Vmbone, contra Gorgones omniaq; aduersa, Palladem Academicam ita protegis & seruas: vt post Iagellonas Fundatores, Vladislaos periclitãtis rei nostræ Statores, meritò *Suprema Salus* Nostrûm, *& Tutela præsens* audiaris. Quã, in Fontem hunc (de quo Te in prima iuuenta hausisse, libens lubensq; palam gloriaris) profusam Regij pectoris fauentiã, hereditariam in Te transfudit Magnus PARENS TVVS, Senatûs Poloni in Ordine Secularium, Primus Princeps. Qui Comitiorum Electionis Serenissimi VLADISLAI IV. Tribunitiâ cum Potestate, vno omnium Quiritium suffragio dictus Director; Legem Sacratissimis adnumerandam rogauit: ELECTVS REX, CAVSAM ACADEMIÆ CRACOVIENSIS IN CVRIA ROMANA, aduersariorum potentiâ letaliter vulneratam, interuentione suâ in integrum restitueret; Pretiosam hanc Diui IAGELLONIS Margaritam, Iagellonides ipse, vnicam in Regno seruaret: ac deinceps ab omni æmulorum inuidiâ, angustijsq; sartam tectamq; redderet. Diuinum hoc in Scholam Regni beneficium, à Magno Parente Tuo profectum, à Diuo VLA-

uo VLADISLAO IV. feliciter peractum; Tu Tertius IOANNES, Felix, Pius, Augustus, Seruator, Regio zelo promoues: gratijsq; Tuis inspiras & vitam nobis, & Laureis nostris Ver nouum aperis. Gaudes vberiore prouentu earum, & ne brutis fulminibus pateant, SCVTO protectionis beneuolentiæq; Tuæ circumdas. Vnde & hodierna Laurûs Phœbæiæ decora, nonnisi adoratâ profundè Sacrâ Regiâ Majestate Tuâ, Auguste noster & Mecænas, prodeunt in lucem: nonnisi Tuis sub auspicijs, diem festum agunt. Tu qui nuper tres Viros Theologos, Doctores creatos, præsentiæ Tuæ summo auctoramento, in facie Vniuersitatis nostræ, recreasti gratiosissimè: etiamnum pari fortunæ currente rotâ, in Facultate Iuridica, Triumviris istis, in jure Doctoribus auctorandis; ab hac Augusti vultûs Tui Majestate Sacratissima, præsens fauensq; adesse non dedignaris. Quo in Musas Nostras

Pro munere tanto d. grates persoluere dignas,
non opis est nostræ.

Dî Tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam Iustitiæ est, & mens sibi conscia recti;
Præmia digna ferant. At Vos tàm propitio rebus nostris, Principis Optimi animati numine, assurgite jam Viri altiùs; mentemq; ad egregia, quæ consummatæ Vestræ, Vtroq; in Iure Prudētiæ offeruntur præmia, aduertite attentam.

PROLOQVIUM IV.

Ad singula Doctoratûs in Vtroq; Iure Insignia.

 Cathedra.

Cathedra.

IAm primùm est, virtutis eruditionisq; Vestræ coronamentum, Sacrorum Diuæ Themidis tergemini Mystæ, Cælestis Astrææ lucida sidera, Præsidis Iustitiæ nouæ gemmæ, Sacroq; Iureconsultissimorum Virorum in Ternione, Vnio pretiose!. Primùm (inquam) virtutis & eruditionis Vestræ coronamentum, locus hic amplissimi honoris; sed simul immensi & cum vita ipsa extremi laboris: Cathedra Doctoralis Professionis Iuridicæ: cuius Vobis actualem possessionem trado. Super quâ aurei oris, auream hanc superscriptionē videte, in Can. multi Sacerdotes 40. dist. adnotatam. *Videte ergo (inquit textus) quomodo sedetis supra Cathedram! quia non Cathedra facit Sacerdotem aut Doctorem, sed Doctor Cathedram. Qui benè sederit super Cathedram honorem accipit ab ea: qui malè sederit, iniuriam facit Cathedræ.* Quod Regius vates de se loquitur, 2. Reg: 23 hoc vnusquisq; Vestrûm, sibi dictū reputet, sitq; *sedens super Cathedram Sapientissimus, Princeps inter tres.*

Epomis purpurea.

QVid verò Togatæ militiæ paludamentū hoc, ostro, Regiâq; purpurâ nitens? summum vtique claritudinis Vestræ auctoramentum est: quia dehinc Imperatoriæ Majestatis, summorumq; Principum *Antecessores* constituti, *& ad gubernandam in partibus Rempublicam* vocati Proceres audietis. per text. procem. Inst. Imper. Conuenit pro-

nit profectò; Viro de iure publicè respondenti color hic! quia ille erubescit sine lege loqui: & videre habet necesse, non solùm quid in nigro; at etiam quid in rubro, lex muta loquatur: ne dum verba legis complectitur, & contra legis sententiam voluntatemq; nititur; tantò grauiùs cõmittat in legem, l. nominis. ff. de v. s. c. certum est. de reg. iur. in 6.

Liber.

ENimverò cùm Majestatem Imperatoriam, Regumq; Purpuras, non modò vis armorum ornet; at etiam legum custodia armet, per text. procem. Iust. Imp. ideoq; magnus ille Romani Imperij Princeps, non aliter censeri voluit, nisi ex vtroq; Cæsar. Librum, seu mauis Libram hanc, vtrâq; lance juris, ex æquo & justo appensam, Vobis consigno. Statera hæc, quâ cælestis Astræa res diuinas humanasq; ad æquipondium librando moderatur; nusquam à Vestris manibus excidat: vt Iuris Dictatores, *æquum ab iniquo, justum ab iniusto separantes, veram non fucatam Philosophiam*, in Orbis facie profiteamini. l. 1. ff. de O. I. Clausum hunc trado: quia licet omnis lex, omnisq; canon, debet esse rationabilis. can. Choreepiscopi. 68. dist. c. Si quando. de rescriptis. l. cùm ratio. ff. de bonis damnat. non omnium tamen, quæ in jure disposita sunt, ratio reddi potest. l. non omnium. ff. de ll. & S. C. Eundem do apertum: vt semper habeatis præ oculis Iuris Doctores, quod dicitur in c. canonum. de cõstitutionibus. *Canonum Statuta custodiantur ab omnibus.*

& nemo in actionibus, vel Iudicijs Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. Concordat pulcer textus, in Statuto huius Regni v. Iudex. *Iudices terrarum Regni Nostri, Constitutionibus innixi, & ex ijs eruditione sumptâ, in judicando conseruent, stateram æquitatis.*

Mitra Doctoralis.

ERuditarum insigne decus, & tutamen frontium, Mitram Doctoralem temporibus Vestris addico. His Vos Diua Themis Infulis, Sacrorum suorum Flamines Diales inaugurat: hâc tesserâ *secernit populo, & terrarum Dominos euehit ad Deos.* Color ejus, noctium vmbris concolor, Doctorem Iuris admonet: ita continuet studium, nocte dieq; legat. vt dicit glos. procem: Inst. Imp. quatenus ad danda responsa de Iure, cum Baldo, mane exoriatur vt lucifer, totumq; illuminet mundum. quod vult authen. Habita. C. ne Filius pro Patre. Forma hæc supernè quadrata, rotunda infernè, innuit, *justum & tenacem propositi Virum,* Iudiciorum Præsidē, & Consultorē; qui non prece agatur in orbem, non pretio; sed immotus amore vel odio, æquum ab iniquo separet, licitum ab illicito secernat, per text. allegatæ l. 1. ff. de O. I. Is ipsus in discernendo negotio vertente, præcipitantiam omnem vitet: quia hæc nouerca Iustitiæ est. Clem. Pastoralis. de sententia & re iud. At neq; dispendiosâ Iudicij protelatione Iustitiam remoretur, & partes contendentes grauet. Clem. Dispendiosam. de Iudicijs.

Annulus.

Annulus.

IVs annuli, ſolis olim Equitibus conceſsi. vt notat gloſ. marginalis in l. ſed ſi hâc ff. de in jus vocando. Signum hoc veræ, quæ ex virtute eſt, Nobilitatis, Vobis ſuperaddo. Arrha iſta fidei, & indiſſolubilis vinculi: hic aureus Orbis, mediâ gemmâ, velut ſole meridiano illuſtris, debetur Doctoribus, eâdem domo, eâdem profeſsione conjunctis: quibus dictum eſt, *Vos eſtis lux mundi: & qui erudiunt multos ad juſtitiam, fulgebunt ſicut ſtellæ firmamenti in perpetuas æternitates.* Et quidem hic, præ manibus ſemper Vobis, non alibi habendus, ceu perpetuus monitor: quatenus *ſic luceat lux Veſtra coram hominibus, vt videant opera Veſtra bona.*

Oſculum Pacis.

AD hæc Oſculum Pacis Vobis impertio. In oſculo Sol juſtitiæ mundo oriturus, humanitati noſtræ incorporatus eſt; ſuauiter à ſponſa ſua Eccleſia inuitatus: *oſculetur me oſculo oris ſui.* In oſculo DEI, Diuinus Legiſlator, diem ſupremum & Scriptæ Legis volumen clauſit: Iuſtitia de cælo proſpiciens, Pacem in terris oſculo excepit. Hoc dulci libamine intimæ caritatis, de corde in ſincerum os redundatis, Iſaac dilectum Filium Iacob, Principem auctorauit, & ad jus Primogenituræ inueſtiuit. Hoc & ego Vos, Inclytæ Facultati Iuridicæ incorporo Principes: ac tandem quod ſupremum ſupereſt:

Inuocato Nomine Domini Noſtri IESV Chriſti, à

quo

quo bonum initium melius medium, & optimus finis sequitur. glos. procem. Inst. Imper. gratiâq; eius adstite, qui *Legifer Noster* est, & *Sol justitiæ.* Auctoritate Vicariæ in terris DEI Potestatis, Summi Ecclesiæ Pastoris, Sanctissimi Dñi Nostri INNOCENTII XII. Pont. O. M. Felici auspicio Serenissimi Inuictissimi Principis D. Nostri Clementissimi IOANNIS III. Poloniarum Regis, M. D. L. Russiæ, Prussiæ &c. semper Augusti: totiusq; Serenissimæ Reipublicæ Polonæ Iurispatronatu & Patrocinio. Beneficio & licentiâ Celsissimi Principis, Illustrissimi Reuerendissimi Dñi IOANNIS de Maláchouice MAŁACHOWSKI Episcopi Crac. Ducis Seueriæ, Vniuersitatis Nostræ Studij Generalis Cancellarij fauentissimi: & meâ quâ interim fungor Potestate, Ego Vos tres Viros, Iuris Vtriusq; Doctores creo, creatos clarâ voce renuntio: dans Vobis potestatem de jure publicè respondendi, omniaq; in vniuersum munia Doctorũ Iuris Vtriusq; exequendi, hîc & vbiq; locorum: idq; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.*

Ornamenta Actûs exteriora, fuerunt ista principaliora.

Supra Cathedram PROMOTORIS, Iconica Imago Serenissimi Regis feliciter regnantis, media inter florentes laurus, victricesq; palmas. Supernè Diadema Regium, infernè Clypeus Serenissimi. cum inscriptione: *Tutela præsens.*

Supra Cathedram ORATORIS, Genius opposito Serenissimi Clypeo, ab infestis Lunæ Orientis radijs, Orbem Christianũ seruans. inscriptio desuper: *Circumdabit te a timore nocturno.*